blasphemiam contrahit inquiens; benedic deo & morere .i. maledic ei. Confitebitur tibi
cum benefeceris ei. Introibit usq; in progenies patrum suorum .i. immutabitur patres
suos sequendo uias eorum & diuicias congregando. Usq; in aeternum non uidebit
lumen .i. & in presenti & in futuro tenebras pacientur. Nam in presenti repleti te
nebras cordis paciuntur intrinsecus in corde per quas ad ueras tenebras tor
mentorum deuoluentur. TIT. PSALM ASAPH. Asaph interpretatur sinagoga .i.
congregatio. Nam sinagoga grece; asaph dicitur hebraice. Latine congregatio;
De asaph ergo cantatur hic psalmus .i. de sinagoga pertinet ut & iam de omni gene
raliter sanctorum ecclesia. Nam asaph unus fuit ex cantoribus dd qui in templo domini lyra &
citara personantibus preerant. Sed propter misterium nominis quia uidelicet co
gregatio interpretatur in titulo preponitur. SALMUS
DEUS DEORUM DNS; Qui est dominus deorum. Deus deus utiq; creator celorum & terre. con
ditor angelorum & hominum, hisinquadnisquiomnia condidit. qui summus deus est.
& solus uere ac essencialiter deus qui omnia condidit. ut creauit. & iam istos deos in
ter cetera fecit. Sed qui sunt isti dii. quos ille summus deus condidit. apostoli atq; patriache.
& prophete. quos participio diuinitatis sue illa uera diuinitas adoptiuos effi
cit deos. sicut alibi scriptum est; Ego dixi dii estis; & non solum dictum est; Constituit te dominus
deum pharaonis. hic ergo deus qui est deorum .i. sanctorum omnium dominus. qui utiq; olim per prophetas suos & per
se ipsum loquebatur in mundum ueniens. naturam nostram accipiens. tandem locutus est per se me
ipsum & uocauit terram. ad fidem terram .i. homines terram incolentes. omne genus ho
minum uidelicet. quod duobus modis uocauit ad fidem suam xps. electione & predicati
one. Sed electione specialiter tantum iustos & ad uitam aeternam predestinatos. Predi
catione uero. & malos & bonos. A solis ortu usq; ad occasum. quousq; peruenit illa
uocatio. a.s.o.u.a. id est per uniuersum mundum. a termino usq; ad terminum. Ex Sion
species decoris eius. Unde cepit illa uocatio. ex Sion utiq; .i. de ierusalem. Nam Sion arx
est in ierusalem de qua aduentum hostium speculabantur. unde & speculatio interpretatur.
Ex Sion inquit cepit diuina predicatio .i. ex iudeis ex quibus xps carnem